



Hunc librum Muis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



TM 0219

Messner Mahlmann

20. Sept. 2001

Burgdorf / CH

x



PRÆCOGNITORUM THEO-  
LOGICORUM

1.9

DISPUTATIO I.

DE GENERA-  
LIBUS REQUISITIS  
VERI THEOLOGICÆ STU-  
DIOSI,

Quam

*Annente Altissimo*

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEIS-  
NERI, S.S. Th. D. & P.P.

*Ad disputationem placidam, in minori  
Auditorio habendam*

Proponit

M. JOHANNES MICHAELIS  
Wittebergensis.

*Habebitur die 16. Martij, horis pomeridianis.*

---

Witteberge, Typis Johannis Gormanni,  
Anno M. DC. XXV,

fig




DE GENE-  
RIBUS REQUISITIS  
VERI THEOLOGICAE  
DISP.

PRÆSIDIO  
BALTHASARIS MERIS  
MERS. S. Th. D. & P. P.

Ad dissertationem deacidam, in rectoris  
Auctoritate habendam  
Proponit  
M. JOHANNES MICHAELIS  
Wittenbergensis  
Habebitur die 10. Martij, hora pomeridiana.

Wittenbergae, Typis Johannis Gornovii  
anno M. DC. LXXV.





Vspicaturi delineationem paulò  
 pleniorē Systematis Theologici non im-  
 merito nos qui Christiano gaudemus &  
 gloriamur nomine, Ethnicis sanioribus  
 prudentiores ac devotiores esse decet,  
 quibus in ore fuit & in auribus personavit:

A Jove principiū, cum Jove finis erit, *Votum.*  
 & uti Plato Choragus Philosophorum scriptum reliquit  
 in Epin: Nemo salubriter docere potest, ei μὴ θεὸς ὑφ' ἡμῶν  
 animos, mentes ac corda nostra attollimus & convertimus ad  
 Jehovam, omnis boni & sapientia fontem ac largitorem lar-  
 gissimum Jac. 1, 16, 4. humili genuum flexione ad pedes ipsius  
 prostrati, scientes quod sine divino Numine nihil sit in ho-  
 mine, & dicentes cum Synesio Episcopo Cyrenaico θεὸς  
 ἡγεῖσθαι πάντος ἐγγυα καὶ λόγος ἡμῶν. *Quare Te Deum essentia*  
*unum, & personis trinum: Te Patrem caelestem Domini no-*  
*stri Jesu Christi, Creatorem: Te Filium Dei μονογενῆ Joh. 1,*  
*18, ἰδιον, Rom. 8, 32. splendorem gloria, & imaginem substan-*  
*tiae ejus Heb. 1, 3. εἰκόνα θεῶ ἀορατῆ καὶ πρωτόγονον πάντης κτίσεως*  
*Col. 1, 15. Redemptorem: Te S. Sanctum ex Patre Joh. 15,*  
*26. & ex ore Filij ineffabiliter procedentem 2. Thess. 3, 8.*  
*Sanctificatorem: Te in Unitate Deitatis adorandam Tri-*  
*nitatem, & in Trinitate ὑποστάσεων adorandum unum Deum*  
*veneramur & obsecramus servi tui, serva nos in veritate*  
*tua, qua Verbum tuum est, revela oculos nostros ut videamus*  
*mirabilia in lege tua, deduc nos in omnem veritatē, confirma*  
*in nobis quod operatus es Domine, resera nobis librum obfig-*  
*natum*



natum verbi tui, benedic operibus manuum nostrarum, esto tu angularis lapis Systematis nostri Theologici, conforma & connecte tu Spiritu tuo omnes ejus juncturas totamq; compagem, & tandem impone felicem ei coronidem. Domine attende orationi nostrae, vires & potentiam suggere, vide Pater & aspice conatum nostrum, vide & approba, & largire, quod petimus, quod promisti filiis tuis, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

## THEOREMA I.

Theologia est habitus θεολογικός πνευματικός in mente Theologi existens, eumq; dirigens, ut homines lapsos per veram religionem perducatur ad aeternam beatitudinem.

Theologiam S. S. systematicè convenienti ordine, quod Trinitus JEHOVA noster benè vertat, felix faustumq; esse jubeat, adornaturi, succinctisq; θεωρηματι comprehensam ad diribitionis limam & diatribatum incidem revocaturi, non immeritò auspicamur à definitione. Certissimum a. est principium rectæ rationis & veritatis, quod omne definitum aestimari debeat non secundum accidentalia seu externas circumstantias, sed essentialia & inseparabilia, & ut abstractum ab omnibus accidentibus, ab omni hic & unnc, ut loquuntur Logici. Jam v. Theologiae accidit scripto vel libro quodam, systematicè item, esse comprehensam, accidit eidem aliis proponi posse, quare omnia illa genus ejus esse nequeunt, quæ ex accidentali ejus statu & consideratione, profluunt uti sunt: Systema, disciplina, doctrina, &c. Tilenus p. 1. Synt. Disp. 1. th. 1. p. m. 1. ita eam definit. Theologia est doctrina de Deo, ejusq; operibus, quatenus ille & ista in verbo ipsius ad nostram salutem revelantur, qui tamen sibi ipsi non satis constat, sed sui oblitus p. 3. Disp. 1. p. m. 1002. eam per sapientiam definit. In eodem hæret luto Sohnius To. 1. Op. Theol. p. m. 62. & 88. inquit: Theologia seu verbum Dei est doctrina de rebus divinis per homines immediatè à Deo vocatos hominibus  
pater

2<sup>o</sup> definitio-  
nis.



*patrefacta.* Errorum ferax est hæc definitio. Nam præterquam  
 quod destituitur vero genere, turpiter confundit Theologiam  
 cum Verbo Dei, faciens hæc duo sibi *ἰσὸν ἀμύντα*, perinde ac si  
 essent unum & idem, quod falsum. Agnovit hoc alius quidam  
 Sobnius similis farinae homo in Academia Montalbanensi P. in al-  
 tera *Præfat. Disputationibus de Scriptura Sacra præfixa*, edit. Genev.  
 Anno 1614. circa finem fermè ita conceptis verbis ajens. *Ejus* (Scri-  
 pturæ sacrae) *enim tanta amplitudo est, ut licet nonnulli existiment*  
*Theologiam & Scripturam sacram reciprocari inter se: quandoquidem*  
*scriptura sacra est verbum Dei, & Theologia itidem nihil est aliud quam*  
*sermo de Deo: tamen multi, qualis Perkinsus in Armilla aurea, scriptu-*  
*ram latius patere doctrinâ salutis (Theologia) non immeritò judica-*  
*runt. Evidens n. & perspicuum inter Scripturam & Theologiam*  
*est discrimen, quia illa immediate à S. S. est inspirata; hæc vero*  
*licet ex verbo Dei sit hausta, non tamen immediate profecta est à*  
*S. S. sed traditur & conformatur ex Scriptura à Dd. illa est prin-*  
*cipium & largitur medium terminum; hæc v. isti principio in-*  
*nititur & continet suas certas conclusiones: illa omnia fidei ca-*  
*pita, sparsim carptimq; proponit; hæc v. omnia illa beneficio*  
*ordinis ad sua revocat loca, & distinctis articulis discriminat.*  
 Sunt alij, qui similiter *doctrinam* genus Theologiæ constituunt, su-  
 amq; sententiam muniunt aliquot scripturæ dictis, ubi doctrina  
 dicitur. *Vacuum* arbitramur, si illud argumentum aliquid robo-  
 ris haberet, quod eodem negotio quis colligere posset sapienti-  
 am, scientiam & prudentiam esse genus Theologiæ, cum & illa  
 nomina aliquoties eidem attribuantur in verbo Dei. *Deinde*  
 ibi quoq; non agitur de Theologia, sed verbo Dei canonico &  
*ἀποστόλων* quod vivâ voce Christus, Prophetæ & Apostoli *ἀν-*  
*τιπροφῶν* & *ἀντιπροφῶν* præcones *ὄντες πνεύματος ἁγίου φερόμενοι*  
 2. Pet. 1, 21. docuerunt & elocuti sunt. *Tandem* licet hic Theolo-  
 giam systematicè tractemus, atq; sic actu fiat disciplina & doctri-  
 na quædam, attamen non statim propterea ex accessoria ista, a-  
 lijs quibuscunq; disciplinis etiam superveniente conditione &  
 relatione ad discentes, essentialiter est definienda, uti hac in par-  
 te in definiendis disciplinis Rameos maximè hallucinatos esse,  
 constat. Mira a. sunt opinionum divortia, & sententiæ fermè

*Discrimen Theologiæ  
 et Scripturam 5.*

*An Theologia verba  
 et doctrinam 1/3 f. 50*



varia Scholasticorum  
sententia et disputatio.

in Theologia dicitur  
per aliquam quatuor  
habituum

similiter dicitur in causa  
causae suae discretio  
nis.

finitio Keckermanni  
quia dicitur in causa  
sua reposita.

et quod similiter dicitur  
in Theologia  
virtutibus mentis, & intellectus practici, naturae viribus compa-  
ratis, competentes, earumque gratia excogitati. Theologia v. est ha-  
bitus

eorum quot capita Scholasticorum, nec mirum cum hi viri omnem  
Theologiam transformarint Circeo artificio & veneficio in hu-  
manam quandam Philosophiam, omniaque spinosis intricarint  
questionibus, adeoque & ei genus ex quinque habitibus intellectu-  
libus Aristotelicis assignare nixi sint. Quidam n. scientiam arri-  
puerunt, ut Henricus de Gandavo, Capreolus, Cajetanus, Franciscus de  
Maribus & alij: quidam sapientiam, ut Scotus cum sectatoribus: a-  
lii inconstanter locuti sunt, & nunc pro scientia nunc pro sapien-  
tia, nunc pro habitu mixto dimicaverunt, ut taceam falsas eorum  
hypotheses, absurdissimasque locutiones, quibus hoc problema  
magis obscurarunt, quas qui nosse desiderat, adeat Excell. Dn. D.  
Pres. p. 3. Phil. Sob. S. I. C. 2. q. 1. p. m. 157. Inter Calvinianos non convi-  
tandi sed discernendi gratia sic dictos sunt, qui per sapientiam eam  
definiunt, uti Scharpius Regius P. Academiae Diensis in Anglia To. 1. Cur.  
Theol. col. m. 4. inquit: Genus Theologiae propinquum est sapientiae,  
hocque suum effatum corroborat tribus argumentis, quae ut & alia  
reservamus ad conflictum. Reperiuntur & in illo coetu, quibus  
arridet prudentia, uti Kecker. l. 1. Syst. Theol. c. 1. p. m. 1. 2. seq. ubi  
hanc tradit definitionem: Theologia est prudentia religiosa ad salu-  
tem perveniendi. Duo commendamus in Kecker. Primo quidem  
quod Theologiam disciplinam Theoreticam esse neget. Deinde  
quod mixtam ex Theoria & praxi similiter contra lacunas scho-  
lasticas negatum eat. Duo a. vicissim in eo reprehendimus, tum quod  
inter habitus Philosophicos, genus Theologiae quaerat: tum quod  
finem videlicet  $\pi\epsilon\acute{\alpha}\xi\iota\upsilon$  ejus non ad subjectum operationis externum,  
sed inhaesionis tantum, in quo ipsamet inhaesive est, referat & in rege-  
neratione & renovatione, in virtutibus Christianis quibus affectus  
sunt regendi & compescendi collocet, citans loca 1. Tim. 1, 5. Iac. 1, 22.  
Heb 12, 14. cui calculum suum addunt alij ex hoc fundamento dispu-  
tantes, Theologiam non esse scientiam, neque etiam prudentiam, quia  
contineat etiam dogmata fidei, quae non sint ad actionem referenda,  
cum sint speculabilia tantum, & dogmata morum quae sint a-  
gibilia tantum. Primum n. quod attinet, habitus isti sensu Aristot-  
elico sumti, quo etiam & non alio sumi debet, sunt Philosophici  
virtutibus mentis, & intellectus practici, naturae viribus compa-  
ratis, competentes, earumque gratia excogitati. Theologia v. est ha-  
bitus

bitus supernaturalis. Jam a. supernaturalis rei, naturale quod est  
 genus esse nequit. Deinde nullus est omnium istorum quinque ha-  
 bituum, cujus definitio & requisita per omnia Theologiae compe-  
terent, eò quod objectum eius Philosophicè consideratum sit  
partim theoreticum, partim etiam practicum, quæ tamen sunt  
 differentiae essentialis oppositæ habituum istorum divisivæ &  
 constitutivæ: Habitus a. isti quinque sunt vel speculativi vel acti-  
vi tantum, generalius accepto vocabulo activi, ut effectiorem  
 quoque contineat, quia eorum objecta vel sunt  $\gamma\omega\sigma\tau\iota$  tantum vel  
 $\tau\alpha\ \pi\epsilon\ \alpha\lambda\theta\epsilon\alpha$ , ideoque fieri non potest ut theoreticum & practicum  
 uni disciplinae formaliter simul competere possint, quicquid et-  
 jam dicatur de Philosophia morali, quod ei ratio  $\tau\alpha\ \gamma\omega\sigma\tau\iota\sigma\mu\epsilon\ \&$   
 $\pi\epsilon\ \alpha\lambda\theta\epsilon\alpha$  conveniat. Altera cur non consistere queat, ratio est,  
 quia praxin & operationem Theologiae sumit ratione subjecti, cui  
inheret, cum tamen practica dicatur ob subjectum operationis ex-  
ternum, circa quod operatur, quod est homo lapsus quatenus æ-  
ternum salvandus, in quem formam accidentalem, sed superna-  
turalem, sanitatem puta spiritualem animæ, ad quam in eo datur  
potentia obedientialis, introducere minister Dei per suam Theo-  
logiam allaborat. Jam v. quis non videt, quantum sit discrimi-  
 nis inter operationem istam Theologicam à ministro requisitam,  
& internam renovationem atque opera bona inde emanantia? I-  
 stius non hujus respectu Theologia cum sit & dicatur practica,  
 quilibet videt  $\alpha\ \pi\epsilon\ \sigma\sigma\delta\omega\sigma\upsilon\sigma\omega\sigma$  superiora loca esse citata, quippe  
 de actionibus & virtutibus Christianis ex renovatione mentis &  
 voluntatis nostræ à S. S. per fidem in cordibus nostris habitante, Eph. 3,  
 17. factis & productis, unice loquentia. Quid quod hac ratione  
 pollex premeretur Pontificijs meritum bonorum operum docen-  
 tibus, si Theologia esset prudentia religiosa, ad modum civilis  
prudentiæ se habens, in sanctimonia vitæ & actionibus virtuosis  
consistens. Sequeretur enim, sicuti Ethica prudentia per virtutes  
Ethicas hominem ducit ad summum bonum civile consequen-  
dum, finem Ethicæ; ita quoque per Theologicam prudentiam  
bonis operibus, salutem æternam summum illud bonum spiritu-  
ale, hominem illà præditum consequi & acquirere, quòd oppidò  
Papismum olet. Tandem omnes electi & fideles, rustici, pueri  
 & mul-

Habitus speculati: activi  
 vobis activi gratia e  
 spiritali.

Praxis operatio sumit  
 vel ratio quod in sa-  
 nis, vel operatio.

An et...  
 Edo pado Theologia ta  
 practica?

& mulieres in sanctitate vitæ incedentes hac ratione fierent & essent Theologi strictè ita dicti, quibus num Keckerm. cum sui similibus accenseri se velit, ipse dispiciat, per nos licebit. Similia pronunciata occurrunt in libris Iob: Arndi, & ejus ὁπρεγ.σπισω. Ita n. Arndus magni nominis Scriptor in *Prefat. Theol. Germ. Halberst. excusæ Anno 1597.* Christi edles Leben an sich nehmen/die Lehre Christi ins Leben verwandeln/ oder wie Christus in vns Leben / vnnnd vnd Adam in vns sterben soll / sonderlich wie der Mensch mit GOTT solle vereiniget werden/ welches des Menschen Vollkommenheit / ist *finis totius Theologia.* Et paulò inferius: So aber Christus in dir wohnet vnd lebet/ vnd wircket/ so ist alles das gute/ das du thust/nicht dein / sondern deines einwohnenden Königes in dir / als in seinem neuen Jerusalem/ etc. Das ist die wahre vnd rechte Theologia so dieser Theologus lehret. In *Pref lib. 3, de Vero Christianismo* ait: Viel meinen es sey gnug / wenn sie Christum ergreifen mit ihrem Verstande / durch lesen vnnnd disputiren, welches itzo das gemeine Studium Theologicum ist / vnd in blosser theoria vnnnd wissenschaft bestehet / vnnnd bedercken nicht / das die andere vernehme Krafft der Seelen / nemlich der Wille vnnnd hertzliche Liebe auch dazzu gehöre. Autor quidam M. B. F. B. in *mysterio iniquitatis Pseudoevang: p. m. 37.* *Vera Theologia est Christum novisse in Spiritu, non tantum secundum carnem assimilari Deo, exhibere imaginem Dei, & vivere cum Deo.* Et in *Vindicijs istius Mysterij M. Werenb. oppositis p. m. 140.* *Scopus meus est, Theologiam in praxi consistere, nec quid speculativum, aut otiosum esse, & consequenter cum pro objecto habeat Christum, illum imitari vitâq; exprimere, quæ imitatio est justitia operum.* Dn. D. Gerh. in *Pref. præmissa Medit. suis.* *Quod si Theologia, inquit, est doctrina practica, utiq; etiam si is ejus non erit nuda yvōns & subtilis Invidia sed potius πρᾶξις.* Hæc si sciveritis, beati si feceritis, dicit Salvator ad discipulos. Non in verbis sed in factis res nostræ religionis consistunt, dicit Justinus, citatq; ibi dicta Ignatij, Augustini & Basilij. Sed hi omnes excusari eorumq; verba benignâ interpretatione ad commodum sensum revocari, & cum nostra sententia conciliari possunt, unica saltem distinctiuncula adhibita, quâ Theologia vel late capitur pro fide Dogmatica generali & confusa quadam notitia articulorum fidei, seu pro fide Salvifica speciali justificante, quo pacto

Theologia sumitur  
reple:

pacto priori modo omnes Christiani adultiores in religione sin-  
 cera informati, posteriori omnes fideles possunt vocari Theologi,  
 ita ut Theologia recurat pari passu cum fide salvifica vera illa &  
 operosa; vel stricte pro fide Dogmatica speciali & accuratiori,  
 tanta nempe, quanta ad rerum divinarum sufficientem tractatio-  
 nem, & scripturae accuratam expositionem requiritur, quo sensu  
 omnes docti Ecclesiae ministri tantum appellantur Theologi, eo-  
rumq; praxis non est sanctitas operum, puritas vitae & sanctimonia  
actionum juxta legem moralem conformatarum, de qua praedi-  
cti loquuntur autores, sed actiones istae externae circa hominem,  
lapsum convertendum, & conversum beandum versantes & oc-  
cupatae, interpretando verbum Dei, auditores informando, Sa-  
cramenta administrando, adhortando, consolando &c. Ra-  
tionem n. istius praxeos ejusdem sunt conditionis cum piis & fide-  
libus alijs; Rationem v. hujus formaliter sunt Theologi. Jam v.  
 Da. Arndus Theologiae nomine utitur late, accommodando il-  
 lud ad omnes veritate nominis Christiani gaudentes, uti patet ex  
 generali ejus scopo, qui est verus Christianismus, qui non solis  
 Theologis, sed omnibus promiscue pijs competit, quare nobis nec  
 ipse, nec ei nos hoc in puncto erimus contrarij. In nostra defini-  
tione genus est habitus θεολογικός πρακτικός. Rationem pronunciati  
 hujus damus istam. Quia n. Theologia sub nulla est certa specie  
 habitus intellectualis Philosophici, multo minus moralis, atq;  
 sic habitus ope humana ex viribus naturalibus acquisiti, sequi-  
 tur, quod per aliud genus sit definienda. Dividitur a habitus  
vulgo in αὐθιγισμός, αὐθιγισμός, θεολογικός & ἐπιμαθητικός. Itaq; ut  
 innotescat, qualis sit habitus, restringitur, quod sit θεολογικός seu  
infusus à Deo, non quidem immediate & extraordinarie, quod  
contigit Prophetis & Apostolis, sed ordinarie & mediate per le-  
ctionem assiduum & meditationem verbi Dei, informationemq;  
in articulis fidei orthodoxa. Quia licet itaq; comparetur habitus  
Theologicus ex crebris nostris actionibus, propterea tamen  
non fit acquisitus, sed est & manet infusus, quia principium, ex  
quo & per quod addiscitur, non est naturale, sed supernaturale,  
sacrosancta nimirum scriptura, ejusq; causa efficiens non est vis  
& potentia naturalis, sed peculiaris gratia & donum aliquod

Excursus Arndi, q. la.  
 ubi dicitur de Theologia.

Applicat. definit.  
 Genus definitionis  
 Theologiae

Habitibus quadrupl.  
 Theologiae q. la. habitus.  
 1. infusus ordinariae  
 2. infusus extraordinariae  
 3. infusus ordinariae  
 4. infusus extraordinariae

Causa efficiens Theologiae  
 non est humana quod  
 Causa efficiens Theologiae  
 non est humana quod

sic non potest infusio,

B. Solus enim noster est habitus  
 sed requiritur illud in actu  
 medium acquisitionis est supernaturale  
 ultra tunc Theologia nobis gratia successiva: infusio v. p.



*Gr. n. infusio*

*ad. oia p. solertia hnam.  
in. neg. g. frequentia.  
z. s. hty practicy.*

*Finis Theologiae opto.*

*Diffra. Specifica.*

*Subiectu Theologiae opto.*

*Finis Theologiae, externus.*

gratis datum, quæ requiruntur, ut quis evadat in eruditum Theologum. In primis nostris parentibus Theologia fuit concreata, in posteris, si lue peccati ob lapsum infecti non fuisset, fuisset congenita, in Prophetis & Apostolis fuit infusa extraordinariè, in alijs doctis ministris est infusa ordinariè, in nullo homine est acquisita propriè, quia per solertiam humanam non acquiritur, neq; ex principijs rationis nostræ eruitur. *Practicus* est habitus, & quidem *merè practicus*, quia Theologia in γνῶσις & θεωρία Dei & operum divinorum non sistit & acquiescit, sed progreditur ulterius ad operationem sibi convenientem, omniaq; illa confert & transfert ad finem practicum, qui est duplex. *Ultimus*, salus æterna, quæ est nil aliud, quàm beata visio, fruitio & veneratio Dei, non in nuda contemplatione, sed potius in actione, in actuosâ glorificatione, veneratione & cultu consistens. *Subordinatus* est perducere & promovere homines ad salutem, quod fit verbi audibilis prædicatione & visibilis administratione, & gubernatione Ecclesiæ 1. Tim. 4, 16. 1. Pet. 1, 9. *Differentia specifica* sumitur à subjecto & fine. *Subjectum* Theologiæ vel est *ut Quædam* denominationis, quale hic est homo seu Theologus; vel *ut Quædam* habitationis & est anima rationalis. *Subjectum perfectionis* est hic facultas animæ mens vel intellectus practicus. *Subjectum operationis* sunt homines lapsi, in quos agit Theologus, ut Theologus, eos ad pœnitentiam flectendo, erudiendo in præceptis morum, informando in capitibus Fidei, adhortando ad virtutes, increpando ob flagitia, consolando, sicuti istæ Theologiæ operationes describuntur 2. Tim. 3, 16. Rom. 15, 4. Tit. 1, 9. 14. 1. Tim. 4, 12. 14. 16. *Subjectum tractationis* aliàs ἀντικείμενον 1. d. an. c. 1. l. 2. 6. 4 & ὑποκείμενον γένος 1. Post. c. 7. 8. & 23. est *Religio* vera, quæ universa & singula sub se comprehendit, quæ in Theologia docentur, & quibus ad salutem perducimur, sive sint credenda, sive agenda, sive sint dogmata, sive pragmata. *Finis* Theologiæ est duplex: *Internus* in potestate Theologi semper situs, & quo nunquam frustrari potest, uti sunt omnes istæ partes fidelis ministri, supra enumerata, ut quantum in eo est, nil patiatur in se desiderari ad perductionem & promotionem ad salutem conducibile. *Externus*, qui & ultimus dicitur, est æterna salus, quæ quia semper:



semper & in omnibus individuis à Theologo licet abundantissimè suo officio satisfaciat, & omnibus numeris ritè fungatur, sperari & obtineri nequit, ita rectè meretur vocari. Finis a. est, quia intendit eam Theologus, & aliquando etiam assequitur, atq; sic intentione est prima, & executione ultima, cujus gratià operatur, & ad agendum excitatur, quâ acquisitâ cessat & acquiescit, videatur *loh 2, v ult. 1. Tim. 4, 16.* Paucula hæc de ratione essentiali Theologiæ præmittenda fuisse judicavimus, quò prægustum & ideam quandam habeat lector, divinæ nostræ disciplinæ, accuratior & plenior tractatio de natura & constitutione ejus suo tempore infra præcognito tertio est secutura.

## THEOREMA II.

Ad hunc habitum ordinariè comparandum, opus est diligenti & crebrâ informatione, qua certo systemate potest ac debet comprehendi.

*1. Comparari & infundere ybilis  
2. crebra informatio  
et cogniti.*

Habitus est Theologia, eò, quod faciliet potentiam suam, eamq; habiliet ad operationes, perficiatq; intellectum practicum ad edendos actus Theologicos, non tantum quoad facilitatem, verum etiam quoad substantiam ipsam actuum, non duntaxat ut promptiùs & melius, sed ut *ἀπλῶς* operetur. Quæ habitus & facilitas quia realis aliquis in nobis affectus est, nec non transactis actibus permanet, aliquam realem & permanentem entitatem ponit in nobis, quæ dicitur habitus. Verum in eo ab habitu physico & vulgariter accepto differt, quod potentia ista naturalis, quam habitat, dirigit & perficit, hic tantummodo se habeat passivè, & ad productionem ipsius habitus Theologici efficienter, uti quidem in alijs habitibus fieri solet, non concurrat, quippe cum præter capacitatem & aptitudinem obedientialem in intellectu humano nihil reperiatur. Ordinariè habitus iste comparatur, quia dona extraordinaria Prophetiæ & subitanæ eruditionis in linguis & doctrina cœlesti per visibilem illapsum S. S. & impositionem manuum, tempore Apostolorum alijs quibus concessa & impertita, jam dudum cessarunt, nullusq; alius re-

*fitz Physic. vulgari accepto.*

*Et n. est infuso.*



Tria requiruntur ad habitum comparandum.

non sed passivis intellegendis, sed a passivis.

lius restat modus comparandi Theologiam quam consuetus & ordinarius per informationem & exercitationem. Vulgò Philosophi tria requirunt ad ingenerationem habitus: φύσιν, μάθησιν καὶ ἀσκησιν. φύσις seu natura uti sæpius dictum si hic sumitur pro potentia naturali active concurrente & causante, in homine lapsa ad Theologiam est nulla. Reliqua duo requisita informatio & exercitatio cum fluant ex viribus naturalibus nostris, magis ut conditio quædam sine qua non, quàm causaliter ad eam se habent, cum in eo habitus infusus θεόδοτος ab acquisito discrepet & differat. In habitibus acquisitis verum est: Solus & artificem qui facit, usus erit, ibiq; usus & exercitatio in se continent principium producendi quantum in se est, habitum. Ast in studio Theologico usus ut & informatio ingenium principij & indolem causa exiunt, & requisiti duntaxat necessarij, absq; cujus præsentia effectus obtineri nequit, quale est in actionibus naturalibus sufficiens proximitas agentis & patientis ad se invicem, certaq; Sphæra activitatis &c, naturam induunt. Exercitatio ipsa tota cum in actione consistat præceptis & systemate tradi nequit, licet præcepta forsan de eadem proponi optimè possint. Informatio a. & doctrina conceptis verbis & suis præceptis constans systematicè tractanda est, cujus rei gratiâ etiam hunc laborem suscipimus. Systematica n. illa comprehensio informationis est quædam effigies imago & typus doctrinæ in mente aliàs residentis, cujus beneficio notiones & conceptus nostros alijs, discipulis, communicare possumus, planè sicuti λόγος γεγραμμένος exprimit προφορικόν & hic iterum est simulacrum ἐνδιακρίτης, & hic vicissim ipsorum ὀντων ac rerum extra mentem nostram existentium, per quem mens nostra intelligendo fit omnia, uti loquitur Aristoteles. l. 3. d. Anima. c. 8. & l. de Interpret. c. 1.

### THEOREMA III.

Theologia consideratur vel in suis Præcognitis, vel in ipsa ἐξεργασία articulorum fidei, & πραγµατεία integra sua σωματοποιήσεως.

Uti quidam non ineptè tradidere nobis præcognita Philosophica, ita etiam Theologia sua habet præcognita, quæ nihil a  
huc





quibus ceu peculiari idiomate utitur Theologia, ut ita futurus viator linguam calleat locorum, per quæ ipsi est transeundum, neve ipsi lapis porrigatur, dum panem desiderat. *Tertium est ορεισμολογικόν* de natura & constitutione Theologiæ, definitionem ejus indagans, ubi in ὑποτυπώσεις quadam delineatur tota essentia ejus, differiturq; de genere, objecto, subjecto, fine, effectibus & attributis & alijs cognatis materijs. *Quartum est μεθολογικόν* de partitione Theologiæ, viatorem instruens, quomodo antequam arduum suum iter aggrediatur, illud in suas partes, mensuras & annuas decursiones dividere debeat, & sciat, per quæ oppida & loca quasi ipsi iter sit capessendum.

### THEOREMA V.

*Primum caput μεθολογικόν iterum constat & absolvitur tribus potissimum membris.*

Membrum primum est de Requisitis generalibus studiosi Theologiæ. 2. de Adminiculis. 3. de Ratione ipsa studij Theologici. In omni actione nostra tria solent conspici. 1. Scopus. 2. Medium. 3. Via & methodicus processus. Quæ circa scopum suum Theologiæ studiosus observare debeat, hoc docebit primum primi capitis membrum. Quibus medijs ille debeat esse instructus, quibusq; instrumentis accedere, edisseret alterum membrum de adminiculis. Quomodo a sese gerere debeat suumq; studium compendiosè prosequi, docebit enim tertium membrum. Siquidem, non minima negotij pars est, adeundi negotij viam nosse. Eras. in Meth. p. 12. In præsentiarum contenti erimus primo membro, quare paulo altiori indagine de generalibus requisitis acturi sumus, quorum numeramus & constituimus cum primis octo, sequentibus Theorematis inclusa.

### THEOREMA VI.

*Primum veri studiosi Theologiæ requisitum est: Legitima intentio, ut animus totus componatur ad nihil aliud, quàm ad gloriam Dei, & multarum animarum propriamq; salutem promovendam.*

Ante omnia præcedere necessum est, ut evasurus aliquando  
in

in Theologum prius secum certissimè constituat & inducat ani-  
mum suum, se omnes vires, facultates, vitam & actiones suas u-  
nicè studio Theologico mancipare, & sacris meditandis ac tra-  
ctandis vacare velle, voto quasi se obstringat Deo suo ad ministe-  
ria sacra aliquando in Ecclesia obeunda, & quidem *αὐτομάτως*,  
sponte ac liberè, non *ἐκωσ ἀέκοντις ἑμῶν*, non obtorto collo ac  
resupinato corpore uti ajunt se præcipitare & crinibus attrahere  
patiat. Coactio n. inimica est ut omnibus disciplinis, ita quoq;  
Theologiæ quam comitari solent segnities & pigritia & incon-  
stantia, cum nullum violentum possit esse diuturnum, quippe na-  
turali inclinationi ac propensione congenitæ contrarium. Quare  
probè secum in timore Dei & seria invocatione nominis divini  
perpendat omnia, percurrat omnes angulos animi sui quò pro-  
pendeat, preces ad Deum fundat serias, ut ipsi in bivio constitu-  
to viam ac studij genus quod jam accedere & seligere debeat, a-  
perire, & qui in manu sua habet omnia corda & consilia homi-  
num, animum ejus flectere ac dirigere clementer velit. Non ob-  
temperet hac in parte aut indulgeat nimium suo genio sed simul  
monitis parentum, consilijs amicorum, & præceptorum judicio  
locum concedat, ijsq; non temerè nec facilè reluctetur, sed imi-  
tetur *Samuelem* adhuc adolescentem, non refragantem matri suæ,  
quæ eum Domino penitus consecrârat & ad ministerium taber-  
naculi Dei destinârat 1. *Sam.* 1, 28. Commendatur eo nomine  
*D. Paulus*, quamvis adhuc Pharisaismo immerfus, quod in nobi-  
lissimo isto literarum tum sacrarum tum aliarum emporio Tar-  
seni in Cilicia *sederit ad pedes Gamalielis, & institutus fuerit κατ' ἀ-  
κριβείαν, accuratissime, in lege paterna*, uti de se ipse recenset *Act.* 22,  
3. Commendatur quoq; *Timotheus* ab Apostolo hoc illustri testi-  
monio exornatus, quod *ἀπὸ τῶν βιβλῶν* *sacras literas didicerit* 2. *Tim.*  
3, 15. Unde inferri firmiter potest, quod statim secum mature con-  
stituerint & animum suum composuerint ad studium Theologi-  
cum suscipiendum, in quo omnino ab omnibus sunt imitandi.  
Et sanè, si ullibi diligenti circumspeditione est opus, illa vel ma-  
ximè ad hoc negotium afferenda est. Ubi enim semel te Deo  
consecraveris, & postea leviter à studio incepto resilieris, ingenti  
te implicas culpæ, satiusq; fuisset aratro huic nunquam manum  
admo-

*firmum propositum.*

*preces.*

*Consilium parentum, Amicorum.*

admovisse, quàm eandem retrospiciendo ad secularia retraxisse & iterum subduxisse *Luc. 9. 62. Gloria Dei cum sit finis generalis omnium actionum nostrarum 1. Cor. 10, 31.* illa in electione studij Theologici eò magis observanda, ad eamq; conatus nostri dirigendi sunt, quò magis eam hoc pacto promoveri, amplificari & manifestari posse constat, siquidem inter omnes disciplinas vel artes, nulla alia est quàm nostra Theologia, quæ gloriæ Dei magis inserviat.

## THEOREMA VII.

*Secundum est: Continua & fixa ad perfectionem in utroq; tum Ecclesiastico, tum Scholastico docendi genere collineatio, ne quis ex timore nimio de perfectione desperet, vel ex temeraria presumptione ociari & superbire incipiat.*

Continua esse debet juxta illud Salvatoris monitum *Luc. 9, 62. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est ad regnum Dei, quod omnino sensu tropologico ad perseverantiam in studio Theologico sectandam accomodare possumus, licet aliàs de perseverantia in fide salvifica loquatur. Vide Syr. 6, 27. 4. 19. Perfectio a. illa hic non absolute sed limitate capitur, pro modulo & captu fragilitatis & imbecillitatis intellectus nostri humani, qualis videlicet plerumq; in hominem cadere potest & solet, consistens in *δυνάμει ἐλέγχειν καὶ ἐπισομίζειν τὰς ἀντιλέγοντας, Tit. 1, 9. 11.* Itaq; Theologus erit, non qui qualemcumq; locorum communium γνῶσιν habet, qui concionem aliquam formare & habere potest; sed requiritur solida & accurata articulorum fidei Christiana notitia, requiritur plena controversiarum Theologicarum intelligentia, requiritur excellens δυνάμει fidem veram ex tempore etiam, & contra quosvū, etiam de novo exortos adversarios confirmandi, strophasq; omnes, argutiores quoq; & subtiliores potenter resellendi. *Dn. D. Pres. q. gener. p. 1. Phil. Sob. p. 113.* Dicitur a. in Theoremate, quod illa perfectio debeat acquiri tum in Ecclesiastico, tum in Scholastico docendi genere. Est a. Ecclesiasticum docendi genus, populare, & homileticum quod fit ex suggestu ad plebem maximè, ubi *ἐπιπολαίως*, de rebus divinis tractasse sufficit. Scholasticum a. est accuratum ac Dialecticum, in quo non nisi ex litera textus solent peti*

Duplex docendi genus

peti argumenta, inquiriturq; in mentem à S. S. quam proximè in-  
tentam in singulis locis ibi omnia problematicè proponuntur,  
ad fontes recurritur, in forma juxta leges disputandi objectiones  
ac syllogismi formantur, & si sophistici sunt nervosè diluuntur,  
enarrantur quoq; libri & scripta sacra analysi Logica, & com-  
mentarijs illustrantur, ubi illud fieri videmus à Dd. & Professo-  
ribus in Academijs & Gymnasijs illustrioribus. Licet itaq; non  
omnibus, & quidem semper & ubiq; actuale exercitium harum  
operarum incumbat, in tanta diversitate functionum & officio-  
rum sacrorum, debent tamen omnes, quicunq; *nomine & re*  
Theologi esse & vocari cupiunt eò contendere, ut possint, ubi o-  
pus est, Ecclesiæ salus, & Magistratus mandato suo postulat, cum  
hostibus congredi, & scholasticè omnia tractare & propo-  
nere. *Cum* hoc sit culmen & fastigium eruditionis The-  
ologica, ad quod paucos pervenire videmus, neq; ut dicitur, ex  
omni ligno fiat Mercurius, atq; hinc contingere possit, ut quis al-  
titudine istius absteritus segnescere & ab incepto desistere cursu  
incipiat, præmuniendus is est ne de successu studij sui animum  
*despondeat*. Respiciat igitur non vires suas quæ aut exiles aut nul-  
læ quandoq; apparent, sed Domini potius potentiam admirabi-  
lem, *cujus virtus in infirmitate perficitur 2. Cor. 12, 9. qui opera manuum*  
*nostrarum promovet, ijsq; benedicit Psal. 90, 18. cujus consilij initia*  
*sunt contempta, exitus autem gloriosi. Moses cum vocaretur ut*  
*esset dux & Propheta populi Israelitici, obtendebat balbutiem.*  
*linguæ suæ dicens: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nu-*  
*diustertius: & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardio-*  
*ris linguæ suum, mitte Domine, quemcumq; mittere vis. Sed quid re-*  
*sponsi accepit timidus & pavidus ille Moses? Dixit ad eum Domi-*  
*nus: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, vi-*  
*dentem & cæcum? nonne ego feci JEHOVA? Vade igitur, & ego ero in*  
*ore tuo, doceboq; te quid loquaris, Exod. 4, 10. 11. 12. Tandem etiam*  
*temeraria præsumptio exitialis & præsentissima est pestis, quam fu-*  
*gere & odisse debent, quotquot solidam notitiam Theologicam*  
*sibi comparare satagunt. Hæc enim δοξοσοφία quam δουρησιοφία*  
*& αυτοδιδαστοι sibi Thraconicè arrogant, & suaviter imaginan-*  
*tur plurimos decepit Syr. 3, 26. qui tandem seris annis addiscere*

*μινεοσοφία.*

*φιλανθία.*

C

CUM

cum pudore, quod antea fastuosè calceis trivisse sibi visi sunt. Multi ad sapientiam pervenirent, nisi eò se jam pervenisse putarent, ait Cicero qui etiam in *l. de Divin.* de istiusmodi timidis & turgentibus adhuc *μεγυζέγον*, attamen ceu *ταυροειπέρι* in vacuo aere volare pennas nondū adepti, sed volatu Jcario, audentibus scribit: *Sus rostro si humi literā A impresserit, non propterea suspicari quisquam sanus poterit, Andromachen Ennij ab ea describi posse, quod aptissimè quadrat & dictum est in eos, qui dum benè aliquid semel gesserunt, omnimodam perfectionem sibi tribuunt, magistrorum magistros se jactitant, otiosi & superbire incipiunt, aliorum dicta & scripta dente Theonino arrodere, & virgulam censoriam in ea vibrare non verentur, unde natum illud: *Presumptio ebria est ἐγκοπή τῆς προκοπῆς.* Postquam satis suum defraudarunt genium, & provinciam quandam docendi eos aggredi oportet, vel rigorosiori examini sistendi sunt, ipsisq; larva eruditionis sensim detrahi incipit, in fumos atq; favillas abit omnis eruditionis ventosæ ebullitio, & qui Atlantes antea se pollicebantur vix clavæ Alcidae aspectum sine formidine sustinere possunt, pendent ac trepidant (quod Comicus ait) ut mus ad parietem. Memores hi debebant esse sententiosi dicti ex *Syr. 18, 19. Antequam loquaris, disce. Quodq; parum didicit nemo docere potest.**

### THEOREMA VIII.

*Tertium est: Indefessa diligentia, & temporis deputati tanquam preciosissimi thesauri recta ratio.*

*Diligentia* est adhibenda animusq; afferendus infractus, laboribusq; & multitudine plurimis, & magnitudine maximis, cedere fleatq; nescius. Est a. diligentia, quā quis totis viribus, summo studio, ac fervido fervore annititur, nullumq; non movet lapidem, nulli parcat labori, dulcediniq; somni haud indulgens summo diluculo & sub aurora Musis amica ad operas suas revertitur, quo opus aliquod perficiat, & disciplinam quandam addiscat. Ejusmodi diligentiam requirit Theologia. Qui n. tanquam aliud quid agendo, agrè ac somnolentè eam tractant, nunquam in ea excellere poterunt. Cum n. nihil sit tam absconditum, quod assidua industria humana erui nequeat, nihil tam altum, quò si non corpus,

pus, mens tamen hominis pertendere nequeat, omniaq; cedant etiam durissima saxa, diligentiae nostrae, nemo non videt quam necessaria illa sit, & quam potentissime omnes difficultates ac asperitates etiam sacrae Theologiae vincat & menti nostrae subjiciat. Temporis quoque est habenda ratio maxima, cujus cursus est velocissimus, & plane irrevocabilis. Dies n. qui heri praeteriit, nunquam revertetur. Si igitur universum tempus, aut dimidium & optimu vacandi Theologiae effluerit, quis illud revocabit? Si etiam anni juventutis, in optimo, h. e. vernante aetatis circulo, praeterierint, ijque vel plane non Theologiae fuerint ab initio consecrati, aut ea cum socordia & ignavia tractata, huic praeteritos referat quis Jupiter annos? In lege Mosis olim erat prohibitum, ne quis caecum, surdum, claudum vel contusum Domino offerret *Mal. 1, 13.* Sic male faciunt, qui Molocho, i. e. Diabolo juventutem sacrificant, vel alijs artibus tractandis impendunt, apud quos juventutis florem Aristoteles depascit, faeces frustra Deo oblatas Satan jure suo sibi vendicat, senectutem v. aut aetatem isti vicinam & declinare vicissim incipientem, postquam optimum florem juventutis lascivia, otio & alijs vitijs isti aetati vulgaribus contriverint, ubi jam sensus hebescere, memoriae & ingenij vires de crescere & senescere solent, demum Theologiae consecrant. Temporis quoque ita habetur recta ratio, si determinato tempore, studium Theologicum, postquam est inceptum etiam absolvitur, & tela incepta ad finem perducitur. Qui vero perpetuo discunt & nunquam solidam cognitionem & habitum sibi acquirunt, qui testudineo & formicino gradu progrediuntur, qui chorda oberant semper eadem, qui nulla augmenta capiunt, qui stant in curriculo sicut Marpesia cautes, aut retrogradi sunt, ut Planetae, hi omnes male tempus suum collocant & perdunt, & plus dedecori sunt Ecclesiae, eamque potius molestant & affligunt, quam ut aedificent, corrumpunt potius Theologiam, quam ut eam excolant.

*Temporis ratio  
in Determinatione*

*determinatio*

## THEOREMA IX.

*Quartum est: Desiderium & studium frequenter audientium conciones tum lectiones Theologicas.*

C 2

Vi ha-



Vi hujus theorematis, Theologiae studiosus *concionum* debet esse frequens auditor. Commune quidem & generale hoc est requisitum, quia ad auscultationem verbi & visitationem templi omnes Christiani cujuscunq; sint status, quodcunq; vitae genus sectentur, quamcunq; etiam artem vel disciplinam sive discant sive doceant, praeepto divino sunt obligati, nihilominus tamen Theologia eam gradu quodam excellentiori, & jure quodam speciali praee alijs omnibus sibi vendicat. Nam, non tantum aequum est, & ratio dicitur, ut is qui aliquando ex suggestu vel cathedra alijs concionari & dogmata fidei proponere gestit, ipsemet quoq; prius sedulus fuerit auscultator concionum; verum etiam insignia commoda inde in Theologiae cultorem, quatenus talem, redundantia, eum ad diligentem frequentationem templi commovere poterant, uti sunt, variarum disponendi textus sacros rationum observatio, elegantiorum phrasium, & formularum loquendi pulchriorum annotatio, vultus, gestuum & totius corporis moderandorum ratio, vocis elevandae, continuandae & deprimendae ratio, & quae praeterea circumstantiae in habendis homilijis observatae sunt dignae. Tandemq; cum oratorium *ἑργαστήριον* aliquod, officina & laboratorium S. S. libenter ibi versari debet Theologiae studiosus, quod animus ejus pietate & religione sincera formetur, praeparatur, imbuatur & perficiatur. *B. Augustinus* qui ob pietatem & singularem donorum excellentiam *pater patrum* appellari meritus est, de se commemorat quod efficaciam concionum. *B. Ambrosij* Episcopi Mediolanensis, quarum fuerat assiduus auditor, a Manichaeismo ad orthodoxam fidem sit conversus, Deinde quoq; *lectionum* Theologicarum diligens debet esse auscultator. Viva vox praeeptorum efficacior ac penetrantior est muti librorum, diutiusq; solet inhaerere. Ad do quod hac ratione servetur ordo docentium & discendum, a majoribus nostris sancitus, qui rem isthanc procul dubio melius intellexerunt, quam Sophilli isti, febriculosa eruditione inflati, suarumq; qualitatuum admiratores, domi confidentes, & vix pedem in acroateria Theologica inferre dignantes, ubi nulla lucta Hercule se non inferiores jactantes, & ubi ad rem ventum fuerit, vix Therfiten agere valentes. Debebant hi meminisse

B. Apo.

*Aut dicitur lectio-  
num.*



B. Apostoli ad pedes præceptoris sui Gamalielis sedentis *Act. 22, 3.*  
id, quod certè factum esse oportet in publico loco, non in angulo  
quodam tenebroso civitatis. Quoties item in sacris fit mentio  
*filiorum Prophetarum*, toties S. S. nos adhortatur ad auscultatio-  
nem lectionum. Quid n. aliud illi fuerunt, quàm auditores & di-  
scipuli Prophetarum, extraordinariorum illorum Doctorem in  
Ecclesia V. T. qui sua habuerunt *παιδευθήρια* in quibus unus do-  
cuit, reliqui verò auscultarunt. Hic si paulisper ad mores nostri  
seculi deflectere, & ad auditoria Theologica cuidã excurrere vel-  
lemus, bone Deus, quanta <sup>raritas</sup> vastitas & desolatio oculis sese ingeret  
nostris, multisq; cõtingere videbimus, quod *Stratoni* cuidã, qui cum  
in ludo suo haberet depictas novem Musas & Apollinẽ, discipulos  
a. tantum duos, rogatus à quodam, quot haberet discipulos; *ὅν  
τοῖς θεοῖς δώδεκα* cum *Dijs* inquit *duodecim*, *Pet. Viñt. l. 2. var. lect. c.*  
23. Quid verò nobis ista auditorum raritas, discentium fastus,  
præceptorum contemptus, & omnis ordinis conculcatio porten-  
dat mali, barbariem puta, & ruinam immanissimam & horren-  
dam, vel *Davus* quidam divinari poterit.

### THEOREMA X.

*Quintum est: Secularium omnium contemptus, ne vel  
divitiæ ex avaritia, vel honores ex superbia, vel voluptates  
ex luxuria, vel hominum favores ex mollitia quarantur &  
appetantur.*

Infandum, sed certum est, non paucos reperiri qui prædicta  
omni vanitate vaniora in studio Theologico sibi præfixa habe-  
ant, eoq; omnes conatus suos dirigant, ideoq; non mirum mul-  
tos ignominiam potius reportare, felici successu studiorum desti-  
tuti, & ad solidam eruditionem minimè aspirare. Et sanè si faten-  
da veritas, resq; à suo principio arcessenda, nemo negare potest,  
conveniens esse, Deumq; peculiariter requirere, ut qui operam  
dant Theologiæ, non adeo curent secularia, abstrahant animam  
à terrenis, valedicant civilibus negotijs, honores, favores atq;  
divitias nunquam impensè ambient, quærant & expectent, sed  
vivant honestè, parcè, suaq; sorte contenti, abnegent seipsos, ab-  
negent mundum cum omnibus suis concupiscentijs. In univer-  
sum omnia secularia Theologiæ cultori sunt contemnenda. Ne-



quo n. militans Deo implicat se negotijs secularibus, ut ei placeat cui se addixit, inquit Apostolus 2. Tim. 2, 4. Habentes victum & amictum, his contenti simus, 1. Tim. 6, 8. In specie ab omni avaritia sit alienus, non sit αἰχρόνευτος ἀλλ' ἀφιλάργυρος, 1. Tim. 3, 1. Pet. 5, 2. omnem fastum exuat 1. Tim. 3, 6. 1. Pet. 5, 5. 1. Cor. 4, 6. voluptatibus & illecebris mundanis nuncium mittat 2. Tim. 2, 22. 1. Ioh. 2, 15. favorem aut odium hominum non metuat Gal. 1, 10. Anquaro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. In signe exemplum defectionis à professione Theologica, habemus in Dema, qui amore mundi & rerum secularium deceptus B. Apostolum reliquit, 2. Tim. 4, 9. vide Syr. 38, 25.

### TEOREMA XI.

*Sextum est: Serium pietatis & honestatis studium ut in præceptis Domini ambulet quotidie, omnesq; actus suos divine conformet voluntati.*

Turpe est doctore cum culpa redarguit ipsum: Quare maxima erit turpitudine studioso Theologiæ, qui eo ipso simul pietatis & honestatis est studiosus, si nullum flagitium tam est enorme, nullum vitium tam atrox, nullum delictum tam notorium, quo is se non contamineat, & vitam suam commaculet, quo pacto multos alios in studij & vocationis genere à se diversos scandalizat, & incidit in iudicium calumniatoris 1. Tim. 3, 6. 1. Pet. 2, 12. In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum, in doctrina, in honestate, in sanitate verbi, ut adversarius confundatur, & nil mali de nobis dicere queat, similia tradit 2. Tim. 4, 11. 1. Cor. 9, 27. Audis hodiè nonnullos dicentes: Verba mea, non facta imitari vos volo Quirites. At quanto aliter Apostolus Phil. 4, 9. Quæ vidistis in me, hæc agite. Item: Estote imitatores mei, sicut ego Christi. Credito, scribit auctor Menippi Valent. Andrea c. 7. unam simplicem concionem vitæ representatam præstare mille ingeniosissimis declamationibus. Præcipuè verò alumnus Theologiæ pietati erga Deum, justitiæ erga proximū, & sanctitati vitæ semetipsum studeat, ut habeat propitium Dominū, secundosq; successus in studijs suis sentiat, sit habitaculum & templum S. S. qui eum in omnem veritatem ducat. Licet n. fides dogmatica, & salvifica, naturā & essentiā planè differant, earumq;

rumq; una absq; altera benè existere & separari possit, ita quidem  
ut bonus Theologus sit quandoq; malus Christianus & hypocri-  
ta, carens fide justificante, quo pacto cum dono Prophetandi in  
V. & initio N. T. coincidit Theologia, uti patet exemplo *Bileam*  
Num. 27, 22. *Saulis* 1. Sam. 10, 13. *Caipha* Ioh. 11, 51. imò in reve-  
rendissimo Collegio B. Apostolorum unus fuit filius perditus  
*Iudas Iscariotes*, qui omnes fuerunt Prophetæ & Theologi, attam-  
en infideles & reprobi. Nihilominus tamen propterea in com-  
paranda exacta eruditione Theologica, vera fides & pietas ex  
oculis nō sunt removenda aut parum curanda, verum potius cer-  
tò statuendum, quod thesaurus & *κευμήλιον* istud puro in vascu-  
lo cordis sit recondendum, & studium omne nostrum in sacris  
multas patiat remoras, tandemq; sine & scopo excidamus ipso,  
si S. Sanctus, qui est *Spiritus sapientie* Esa. 11, 2. & *veritatis* Ioh. 16, 13.  
qui *contristatur* & abigitur inopiâ & sceleratâ vitâ Eph. 4, 30. gra-  
tiosa suâ præsentia non adest nec advenit, sed potius expellitur.  
*Sapientia enim non ingreditur animam malignam, nec habitat in cor-  
pore peccatis obnoxio*, inquit *Sapiens* 1, 4. Spectat quoq; huc locus  
2. Cor. 4, 4.

## THEOREMA XII.

*Septimum est: Quotidianum devotæ orationis officium, sine qua neq; vera sapientia, neq; sincera pietas impetrari potest.*

Regula quidem hæc ut cæteræ omnes generalis est, omnes  
omnino sine discrimine homines attinens, juxta illud Col. 3, 17.  
*Quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Iesu facite.* Ap-  
plicatur tamen regula ista ad sanctæ Theologiæ studium singula-  
ri de causa, multisq; peculiaribus dictis. Nam, articuli Fidei, qui  
primarium sunt objectum Theologiæ, mera continent in se my-  
steria à sensibus nostris remotissima, ijsq; imperscrutabilia, in-  
terdum etiam quæ videntur rationi, stolidi & insipidi 1. Cor. 2, 14.  
Itaq; indigemus illuminatione S. Sancti, qui mentem nostram ex  
tenebris istis evehat, exaltet, & collustret radijs suæ gratiæ, ut  
proposito in sacris literis intelligere queamus, Ioh. 14, 26. Tam-  
bonus enim est Dominus, ut non tantum sese in sacris libris  
paret.

patefacere, sed præterea etiam gratiam illuminationis superadde-  
re & promittere voluerit, qua ratione simul & *objectum* & *princi-*  
*pium à quo primum motus*, habitus Theologici rectè vocari posset,  
id quod similiter in alijs disciplinis planè non reperitur. Et, si-  
cuti lux sine luce, sol sine sole videri, ita etiam Jehova absq; Je-  
hova cognosci in verbo suo nequit. *Sine Deo non cognoscitur Deus.*  
*Iren. l. 4, c. 14.* Id quod Christianus Poeta sic expremit: *Desire*  
*cur videat nemo sine Numine Numen Mirari, Solem quis sine sole videt?*  
Hinc D. Luth. *l. de Serv. arbitr. To. 3. Ien. p. 167.* dicit, *ne unum qui-*  
*dem jota in scripturis perspicuum esse, sine S. S. luce, omnia enim hac ra-*  
*tione & hoc respectu carni & acumini hominis obscura esse.* Relictum qui-  
dem rationi nostræ lumen, quo in cognoscendis & indagandis rebus terrenis,  
disciplinis Philosophicis & parte quadam legis divinæ exteriora delicta ar-  
guente uti potest, sed ad divina mysteria in scripturis cognoscenda planè  
cæca est, imò etiam si exterius proponantur, tamen salutarem & solidam  
eorum notitiam, absq; interna S. S. collustratione & lumine habere ne-  
quit. Illuminare a. S. Sanctus neminem facilè vult & dignatur,  
nisi rogatus, nisi precibus instanter quis pulsaverit. Quare oratio  
studio Theologiæ tam erit necessaria, quàm quod maximè. Ita  
n. B. *Iac. 1, 5.* *Si quis inter vos indiget scientiâ, roget Deum, qui dat*  
*omnibus à wλw, simpliciter, ac nemini exprobrat, & dabitur ipsi.* Pro-  
misit quoq; Salvator nobis certum harum precum exauditio-  
nem *Luc. 11, 13.* *Quanto magis Pater cælestis dabit S. S. petentibus eum.*  
Facit huc totus *Psal. 119.* qui partim ἐγκωμιαστικὸς studij Theolo-  
gici, partim etiam προσευκτικὸς, in quo David Deum precatur &  
orat, ut in salutari ac solida cognitione ejus, & intellectu verbi  
divini, & sensu legis Domini proficiat. Oratio hæc non minus  
est necessaria quàm ipsa meditatio Scripturæ, imò dixerim æ-  
quali eas incedere passu, quod agnoscens *Orig. Hom. 1. l. 12, in Exod.*  
ait: *Non solum studium nobis adhibendum est ad discendas sacras literas,*  
*verum & supplicandum Domino & noctibus & diebus obsecrandum, ut*  
*veniat agnus ex tribu Iuda, & accipiens ipse librum signatum, dignetur*  
*aperire. Ipse n. est qui aperit mentes, ut intelligantur Scripturæ.* Hieron.  
ad *Pam.* dicit scripturâ: esse librum signatum, quem nullus aperire possit,  
ejusq; mysteria referare, nisi leo de tribu Iuda: orandus est Dominus, &  
cum Petro dicendum. Edissere nobis parabolam istam. Pulcherrima ta-  
lis orandi formula extat apud *Aug. l. 11. Confess. c. 2.* ubi vide.

THE O-

## THEOREMA XIII. & Ultimum.

*Octavum est: Obfirmatio animi ad fortiter sustinendum quasvis molestias calamitates & injurias, quæ partim in studio, partim in officio Theologico solent obvenire.*

D. Apostolus *ἔρανοδιδαχῆς* 2. Cor. 12, 4. 1. Cor. 4, 9. & seq. omnibus studiosis Theologiæ Thema aliquot *genethliacum* cum prognostico ac practica magna vel universali erexit & consignavit, firmiter atq; certius, quippe ex infallibili præscientia Dei haustum, quovis Astrologico, in quo se contueri, ex quo fatum ipsis in hoc mundo expectandum discere, juxta quod se maturè præparare, animumq; suum adversus calamitates præmunire & obfirmare poterunt, ut ita prævisa tela ipsis nil noceant, ubiq; irruerint mala recordentur, quod Dominus hoc ipsis prædixerit Ioh. 15, 20. 16. 4. ne forte ardore tentationis ac si ipsis aliquid insperati contingat, frangantur, 1. Pet. 4, 12. sed in patientia possideant animas suas, Luc. 20, 29. Ad octo a. potissimum capita reduci potest illa Apostolica Astrologia. 1. *Est paupertas*, quod vult quando dicit v. 11. usq; in hanc horam esurimus & sitimus, quò pertinent Iac. 2, 5. 2. Cor. 1. 26. Matth. 19, 27. & 10, 9. Act. 3, 5. 2. *Labores & vigiliæ*, quod innuit v. 12. laboramus & operamur manibus nostris proprijs, 2. Tim. 4, 5. 2, 15. 1. Tim. 5, 17. Act. 20, 31. 3. *Odiū hominū*, inquit: maledicimur & benedicimus nos, & v. 9. facti sumus spectaculum mundo, angelis & hominibus. Hæc est egregia illa merces fidelium ministrorum, quæ exantlatos eorum labores compensare solet mundus, malum pro bono reddens, Matth. 10, 22. Ioh. 15, 18. 4. *Humilitas* in vestibus, vita & moribus, iccirco dicit: nudi sumus, contempti sumus, v. 11. vid: Matth. 11, 8. Humilitas ista pulcerrima est virtus, maximè Theologiæ studiosum exornans ipsiq; singularem gratiam atq; favorem apud pios mentes concilians, sed admodum rara, Syr. 3, 20. 10, 3. Tob. 4, 14. Prov. 16, 28. 5. *Conflictus* cum hæreticis. Accidit n. quandoq; ut hæretici in medio Ecclesiæ exurgant & turbas dent, aut aliò voceris ad reformandum certum cœtum, vel quovis modo incidas in hæreticum ex inopinato, vel etiam scriptis eorum sit compescenda libido, profligandæ strophæ, & detegendæ insidiæ, hinc consequuntur & comitantur gravissimæ curæ & anxietates fidelem Christi servum, eum mordentes & anxium reddentes.

D

Elias



*Elias* cum Ecclesiam à cultu Baalítico repurgasset, & stupendo miraculo impietatem & idolomaniam Baalitarum toti populo oculis atq; sensibus palpandam ostendisset, sanguinaria cunctantur in eum ex aula à regina consilia, & cruentum ipsi interminatur mortis genus, 1. Reg. 19, 2. Ob hanc causam *Apostolus* procul dubio filium suum in Domino *Timotheum* hortatur ut se *athletam ac militem Iesu Christi* demonstrat, 2. Tim. 2, 3. & 2. Tim. 4, 7. de se dicit, quòd *bonum certamen certaverit, & cursum consummaverit*. Huic n. *Apostolo* cum pseudo *Apostolis*, falsis fratribus, *Judæis* & alijs erroneis creberrima fuerunt incenda certamina.

Quid quod tacentibus reliquis *Apostolis* ad hypocrisin D. *Petri* magni & eminentissimi istius *Apostoli*, qua se subtrahebat à gentibus conversis, & nolebat amplius eorum libertate in esu carni-um & similibus uti, sed metu *Judæorum* juxta antiquas sed exoletas ceremonias vivebat, atq; sic earum necessitatem in fraudem gratuita justificationis & libertatis Christianæ, facta astruere videbatur, non sine molestia gravissimè ipsi κατὰ πρόσωπον resistebat, Gal. 2, 11. ejusmodi conflictus B. *Ioh.* cum *Nicolaitis*, *Ebione*, *Cerintho* & alijs experiri & sustinere coactus fuit 6. Persecutiones.

Indolem & humorem mundi hinc considera ingenio ita comparati, ut quos veritatis & fidei orthodoxæ propugnatores rationum pondere, argumentorum robore & verbis superare nequit, alio compendio aggrediatur, quod unico verbo est *exilium*, quo solum coguntur vertere, sedibus suis emigrare, præterq; baculum nil secum exportare. Iccirco *Apostolus* pulcerrimè dicit, sui ordinis homines ἀσπῆς, & διώκεσθαι ac nil nisi mera κατάρματα & περιψήματα esse, v. 11. 12. 13. Sicuti n. ejusmodi purgamenta nullo digna æstimantur certo loco, sed mox huc mox illuc portantur calceis, ita nemo ex *Theologis* certus esse potest aut debet de tranquilla & fixa sede, sed sæpissime eum oportet pedibus hostium succumbere, & instar purgamenti abjectissimi ex uno angulo mundi in alium pelli & profugum esse. Accidit hoc B. *Athanasio* qui in exilium à *Iuliano* pulsus sese & astantes amicos ita consolabatur: *Bono estote animo filioli, nubecula est, brevi evanescet*, Socr. l. 3. Hist. Eccles. c. 2. Prædixit hoc *Christus* Matth. 10, 23. 7. Tentatio.

*Tria requisita Theologiae.* Megalothander B. *Luth.* & ex eo Dn. *Hasenreiff.* in limine L. C. ~~Tria recentia requisita studiosi Theologiae: Oracionem, Medita-~~  
tionem

*tionem & Tentationem, à nobis solummodo verbis & numerandi modo discrepantes, ejusmodi Disticho συλλίσβην inclusa: Vota fac assidue, meditare & cuncta per usum Exige, Theologus qui cupis esse bonus. Satanás n. ἀρχιπειραστής ille Stygius, hos primum aggredi, & tela sua Diabolica in eos immittere solet, quos videt regno ipsius ingentia damna duros, quã in parte similis est lupo prius canes invadenti, ut tota grex deinceps ipsi fiat præda, aut hostibus excubias prius trucidantibus ut ingentem cladem & stragem in reliqua cohorte edant. Quid quod Tentatio sit schola quædam pietatis, & officina veri Theologi, in qua igne crucis probe purgatur, in furno tribulationis bene excoquitur & malleo ærumnarum mollificatur, ut sensu malorum ipsemet affectus, alios eadem consolatione erigere possit, qua is refectus est 2. Cor. 1, 4. aliorumq; afflictionibus ad συμπαθείαν commoveatur. Non tentatus enim, qualia ille scit? Iccirco B. Aug. in Psal. 60. To. 8. col. 612. præclare ait: Per tentationem profectus noster est. Non n. sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest quisquam coronari, nisi vicerit, nec vincere nisi certarit, nec potest certare, nisi inimicos & tentatores habuerit. Sospitator noster Ἰουαπέταρος à Joh. Baptista solemni ritu Baptismi inauguratus, & investitus, cum jam auspici officium suum visibile & Propheticum deberet, ecce, in desertum ducitur, tentator Diabolus eum adoritur, & ingens prælium cum eo suscipere cogitur, Matth. 4, 3. Non multò tolerabilior conditio est eorum, qui à Christo Domino nostro mittuntur ut pascant ejus oviculas 1. Pet. 5, 2. Ioh. 20, 21. Hos n. aggreditur Diab. immanissimã irã, omnibusq; viribus eò collimat jacula sua, ut atrocitate afflictionũ perturbetur & in officio subvertatur. Prænunciavit hoc Filius hominis ambulans in medio septem candelabrorum seu Ecclesiarum Asiæ, Episcopo Smyrnensi inquit: Ecce, missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem, Apoc. 2, 10. Contigit illud Oecumenico gentium Apostolo, quem visibiliter horrendis & miris modis afflixit data q. operã & aperto Marte, de se scribenti 2. Cor. 12, 7. Datus mihi est stimulus in carne mea, angelus Satanæ qui mihi colaphos impingat ne me extollam, propter quod ter rogavi Dominum ut discederet à me. Quare ô bone, qui vel in ministerio sa-*

cro



cro bonam militiam exerces, vel adhuc ad illud contendis, si forte & tibi ejusmodi tentationes obveniant bono esto animo, invadere & respice *αρχον & πρωτογονιστην* tuum Christum Jesum, qui vires Satanae debilitavit & omne lethale virus isti *ὄφει ἀγχαίω* ademit, qui tentationibus suis quas sustinuit, tuas tentationes sanctificavit, qui tentatus est in omnibus sicuti nos, excepto peccato, ut possit *συνπαθεῖν* infirmitatibus nostris Heb. 4, 15. Hic non procul stat, ut videat certamen nostrum, & tanquam celestimate quodam nobis occlamat: *Luctamini, adjuvabo: Vincite, coronabo* ex Augustino. 8. ~~Martyrium & violenta mors.~~ Indicat hoc Apostolus v. 9. ministros Dei vocans *ἐπιθυναλίστας*, morti deputatos & destinatos, ceu oves ad lanienam. Extrema & fortissima hæc est *Maxima* mundi, quem nec odio, nec ærumnis, nec persecutione flectere & frangere potest, igne, aqua, ferro, fame &c. necat & ex censu mortalium eximit, ne amplius verbo veritatis ab eo infestetur & affligatur. Prædixit hoc Salvator Matth. 10, 28. Ioh. 16, 2. Act. 12, 2. 7, 60. Ioh. 21, 19. Apoc. 11, 7. 16, 6. 17, 6.


Rabies atq; furor ejusmodi infernalis penitus hodie Romanos istos Pontifices & Carnifices incessit, quorum immanissima sitis sanguine orthodoxorum, qui ipsis sunt hæretici, expleri nequit, tyrannide & in conscientias hominum dominandi libidine non multum Nerone, Trajano, Mezentio & Iuliano inferiores aut mitiores quippe in suis ditionibus ubi absolutam exercent potestatem, nacti purioris religionis socios eos in igne & fumo ad æthereas sedes mittunt, & ablegant. Sortem hanc probe secum expendens Chrysostomus in Epist. ad Cyriacum, pie isti opposuit sequentem meditationem consolationis melle dulcissimam: *Cum à civitate fugarer, dicebam contra meipsum: Si quidem vult regina me exulem agere, agat in exilium. Domini est terra & plenitudo ejus: Si vult secare secet, idem passus est Esaias. Si vult in pelagus mittere, mittat Ionæ recordabor. Si vult in caminum injicere idem passi sunt tres illi pueri: Si me feris vult objicere, objiciat, Danielis in lacum leonibus objecti recordabor: Si me lapidare vult, tollat, habeo socium Stephanum *πρωτομάρτυρα*. Si me decollare vult, decollet, idem obvenit Iohan. Bapt. Et si substantiam auferre vult, auferat, nudus exivi ex utero matris mee, nudus stiam revertar.* Quo dulciloquio, ambrosia & nectare quovis, animabus nostris igne tribulationis extortis, multo suaviore, præsens *ἰεραὶ ἀκηναι* claudimus, dicentes:

SOLI DEO GLORIA.









PRÆCOGNITORUM THEO.  
LOGICORUM

DISPUTATIO I.

DE GENERA-  
LIBUS REQUISITIS  
VERI THEOLOGICÆ STU-  
DIOSI,

Quam

*Annuate Altissimo*

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEIS-  
NERI, S.S. Th. D. & P.P.

*Ad disputationem placidam, in minori  
Auditorio habendam*

Proponit

M. JOHANNES MICHAELIS  
Wittebergensis.

*Habebitur die 16. Martij, horis pomeridianis.*

---

Witteberge, Typis Johannis Gormanni,  
Anno M. DC. XXV.